

mineam in Dioptrâ G. & dirige illam versus Dioptram H. reperiessque puncta 156. quæ distantia est à statione tuâ vsq; ad altitudinem Turris quæsitâ, nempe punctorum vel pedum 156. ut in antè positâ Figurâ ex literis c. d. e. f. splendè refulget.

CAPVT XIV.

*De Instrumenti usu in dimetiendâ Turri, in monte sitâ,  
quàm videlicet alta & Turris & Mons sint,  
quàmq; profundè Mons debeat  
suffodi.*

**S**UPERFIGE Instrumentum Baculo secundùm planum, dirigeque semicirculum C. versus Montem vel Turrim, cuius altitudinem explorare cupis, ut in Figura adumbratum vides. Tunc electis tibi duabus stationibus signa illic facito, & Regulam A E. illuc volve. quâ firmatâ Regulam A F volve in metam Montis vel Turris.

*Nota.* Si disposito Instrumento secundùm planum, altitudinem Turris videre nequis, ita tunc operare:

Cura, ut commensor tuus, stans ad Dioptras, perpendiculum cum appenso plumbo in sublime eleuet, tantisper dum unâ collimatione videre potes utramque Dioptram, Perpendiculum & Turrim, secundùm directum: firmatis tunc Regulis, & notato numero in semicirculo, reperiess gradus 115. unde punctationem facies in cerâ.

Cum Baculo deinde Instrumentum aufer, & alio relicto signo progredere ad alteram stationem antè electam, Instrumentumque dispone ad primam stationem cum Regula A E. quâ firmatâ stationem metire, reperiessque pedes 350. volve illuc Dioptram G. & item Dioptrâ H. ut & cum Perpendiculo antè faciebas, deprehendesque Regulas Instrumenti nimis breves existere. Itaque volve Dioptram G.

D